



Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

X. De potentia motiua localiter, sitne actiua, & ab aliis animæ potentiis
distincta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

ne sub obiecto suo comprehendit, alioquin non posset eleuari ad illam visionem: idcirco dicendum de voluntate, quocirca intellectus de se habet non repugnantiam, vt ad illum perfectissimu actum eleuetur, ideoque de se perfectior est, quam voluntas: quod actum voluntas possit vnum aliquem meliorem actum naturalem exponere, quā intellectus non propterea perfectior absolute censenda est, tum ob ea, quæ diximus, tum quia fat est intellectum communiter, & in cæteris actibus excellere, & hæcenus de secundo argumento.

Ad confirmationem 2. argum. in eodem n. 1.

Ad confirmationem vero eius ibidem adductam respondetur: sicut Seraphini perfectius amant, quā Cherubini, ita etiam perfectius videre, certum enim est absque controuersia ex perfectioni Dei visionem sequi perfectiorem amorem: difficultas ergo communis est in vtraque sententia, dicendumque denominationem illam non sumi ex his, quæ in ipsis Angelis inueniuntur, sed quæ in nobis efficiunt. Seraphim itaque dicuntur ardentes, & incandescentes, vt Diuus Dionysius ait septimo capite, cælestis Hierarchiæ, quia illorum munus est accedere in charitate Dei hominum voluntates, nam quia charitas in via perfectissima est, ideo hoc est perfectissimum Angelorum munus, quod Seraphinis tribuitur, Cherubini vero munus habent illuminandi intellectus, ex eoque denominantur, quod pacto interpretandus venit D. Th. 1. p. q. 108. art. 4. ad 6.

Ad 3. argum. in eodem n. 1.

Ad tertium argumentum principale respondetur, quauis in libertate voluntas superet intellectum, intellectum superare voluntatem in ratione, & discursu, multo vero maior perfectio est potentiam rationalem esse per essentiam, quam esse liberam, hæc enim perfectio ex illa oritur tanquā minor. Vnde ad confirmationem negatur antecedens: potius enim intellectus regit voluntatem, totumque hominem, quam e contra: nam licet applicatio ad operandum sit à voluntate, rectitudo tamen operandi ab intellectu proponitur. Ex quo negare non possumus has potentias inter se dependentiam habere, seque mutuo iuuare, plus tamen est, quod voluntas intellectui debet, quam quod intellectus voluntati.

Ad 4. ibid.

Ad quartum dictum in intellectu potius consumari perfectionem hominis, cum per actum intellectum homo fiat beatus, at voluntatem reddere hominem bonum dispositiue in via, quia est principium merendi, ideoque bonitatem moralem consummari in voluntate, id tamen habere in quantum conformatur suæ regulæ, quæ est recta ratio. Vnde prius, ac perfectius moralis bonitas oritur ab intellectu, quia de causa etiam dependentia, quæ inter virtutes morales perfectissima est, in intellectu residet. Ad confirmationem quidam putant in potentijs sentientibus appetitum esse perfectiorem quolibet cognoscente, eo quod actus omnes virium sensitiuum ordinantur ad appetitum sensitiuum, seu ad delectationem, cum vis sensitiua non nisi delectabile bonum attingat. Præterea sensitiua virtus ex natura sua ordinatur ad obediendum rationi, ad hoc autem vicinius accedit appetitus inferior (nam bruta ex concupiscentia potius quam ex eruditione ducuntur) in natura autem intellectuali, quæ secundum se capax est vniuersalis, & summi boni, meliusque illud assequitur contemplatione, quam delectatione, & operatio appetitus ad operationem intellectus ordinatur, ideo intellectus perfectior asseritur. Et hæc responsio ex S. Th. colligitur 1. 2. q. 4. art. 2.

Ad confirm. 1. solutio.

Respondetur tamen secundo etiam in sensitiua parte sensum interiorem appetitui præcellere, cum habeat nobiliores operationes, nobilioremque operandi modum, ac plerumque ex rationib. factis pro intellectu in sensu etiam procedunt, neque vllæ sunt quæ contrarium perfluadeant.

2. solutio.

De potentia motiua secundum locum, an actiua sit, atque ab alijs animæ potentijs distincta.

Motus localis absolute sumptus communis est rebus etiam inanimatis, in animalibus tamē artificioso quodam modo editur à principio intrinseco actiuo per cognitionem, & appetitum: in alijs vero non ita. Quæ differentia quod attinet ad rationem motus localis, non videtur essentialis, & ideo de ipso motu, qui est actus huius potentie nihil superest dicendum præter ea, quæ in physica dicta sunt, neque etiam de termino huius motus, nempe de vbi, quod tanquam obiectum ad hanc potentiam comparari potest: solum ergo restat dicendum de potentia ipsa, & de instrumentis, quibus hic motus executioni mandatur.

Hæc porro questio difficultatem habet propter Aristotel. in 3. de anim. asserentem virtutem mouendi esse phantasiam cum appetitu, ex quo sequi videtur, potentiam hanc non esse distinctam ab ijs, de quibus hæcenus diximus. In contrarium vero est, quia actus, & obiectum motiue potentie distincta sunt ab actibus, obiectisq. aliarum potentiarum animæ. Pro resolutione notandum primo, motum localem duplicem inueniri in animalibus: naturalem scilicet, qui vitalis etiam dicitur, & animale, ex appetitu nimirum pendentem. Primus est tum continuus motus cordis, tum etiam disparatio, ac compressio pulmonum, ex quibus prouenit respiratio, & arteriarum pulsus: hi enim motus omnes naturales dicuntur, quia in nostra potestate non sunt, vnde Aristotel. libr. de communi animal. motu, ad fin. spirationem inter motus non voluntarios numerat: potest quidem per appetitum aliquantulum detineri, & impediri spiratio: id vero non nisi quantum ad ingressum, vel exitum aeris: attamen motus ipse cordis interior nequaquam: sicut neque motus parvis vegetatiuæ. Iam vero motus alter, animalis nuncupatus, ipse est, quem progressiuum appellant, quemque præcipue hoc loco intendimus.

De primo ergo motu sit prima conclusio. Potentia ad motum naturalem specialis est in anima distinctaque ab appetitu sensitiuo, ac residens in corde, & pulmonibus. Probatur, quoniam ille motus ab actione appetitus, vel sensus non pendet: his enim cessantibus exercetur nihilominus prædictus motus: ergo ab speciali alia potentia animæ procedit. Antecedens experientia notum est: consequentia vero videtur euident, nam talis motus à potentia actiua animæ debet fieri, non à sensu, aut appetitu, siquidem his cessantibus ille non cessat: ergo, &c.

Circa motum progressiuum, de quo principaliter inquiritur, est notandum, ad illum concurrere cognitionem, appetitum, externa membra, eorumque dispositionem. De cognitione res liquet, progressiuus motus quia progressio determinata esse debet, ad certum terminum tendens, vnde eam oportet dirigi ab aliqua vi cognoscente: tum quia appetitus non est absque cognitione. De appetitu quoque similiter liquet: animal enim seipsum mouet, cum appetit, & homo item quando vult: ac præterea quoniam motus ille naturalis non est: erit ergo ab appetitu. Denique quod membrorum dispositio necessaria sit, constat, quia si prauè disposita sunt, non procedet motus, quantumuis animal appetat: idem amplius constat ex naturali compositione tallium membrorum, ideo enim iuncturis inuicem colligantur conuexumque in concauo includitur vt possit vnum in altero volui tanquam in cardine, quod obseruat Aristotel. 3. de Anima, textu 34. & lib.

SVAREZ
de Angelis, op.
in 6. d. 1. rum. et
anima.

Tom. 1. 1. 1.
1. 1. 1.
1. 1. 1.

D. V. 2.

& lib. de communi animalium motu, in principio & S. Thomas ibidem lect. 1. ait enim eo loco Aristoteles iuncturas ad hunc finem fabricatas, vt quiescente parte vna altera moueatur, ac mota nitatur quiescenti. Sic dum manus mouetur, quiescit brachium, quod si brachium torqueatur, humerus quiescit, ad alia vero munia membrorum, & per illorum extensionem, & retractionem membra mouentur. Ita patet tria hac ad progressionem esse necessaria: patet vltimus potentiam cognoscentem solum concurrere ad hunc motum tanquam dirigentem appetitum, appetitum vero immediate attingere executionem motus.

4 *Membra externa quomodo concurrant. 1. Opinio.*
Quo autem modo externa membra concurrant, dubitari solet. Nonnulli volunt in eis dari tantum dispositionem passiuam ad motum localem, obediendo scilicet appetitui mouenti, in isto autem residere totam virtutem actiuam illius motus ad eum motum, quo in motu celorum alibi diximus ex parte corporis tantum inueniri aptitudinem passiuam, vt moueatur, vimque actiuam totam esse in intelligentia mouente. Hanc sententiam tradere videtur Aristoteles citato libro de Anim. & lib. de animal. motu, vbi asseruit appetitum esse principalem causam eiusmodi motus: si autem immediate non causaret, non magis esset principium motus, quam visionis, v. g. vel intellectus. Idem sentire videtur S. Thomas 1. p. q. 75. art. 3. ad 3. dum ait vim appetitiuam esse effectricem: vim vero motiuam existentem in membris, motum exequi: per eamque membra reddi habilia ad obediendum appetitui, cuius actus, inquit, non est mouere, sed moueri. Idem docet 2. contra gent. c. 82. vbi Ferrar. in fine, ac late Capreolus in 2. d. 1. q. 2. ad argumenta Aureoli, Caietani, de Anima, suo cap. 6. Ratione quoque arguitur: quia hic modus concurrendi ad progressionem sufficiens est, ac maxime conueniens nature appetitiue, perfectionique amantis: ergo, &c. Assumptum ostenditur quoad primam partem. Nam posita efficacia in appetitu ad efficiendum motum, posita item in membris dispositione ad obediendum, nihil aliud apparet necessarium: atque exemplum de Angelo mouente celum idem confirmat. Secunda deinde pars suadetur. Quia appetitus potentia est inclinans ad aliud ergo consonum illi est, vt etiam moueatur ad illud consequendum: eiusdem quippe potentie est in finem tendere, & ad consecutionem illius conari. Tertia denique pars probatur, tum quia quo pauciora principia concurrunt ad actionem aliquam, eo melius est operanti, tum quia operari per potentiam animalem, ac per actionem immanentem multo perfectius est, quam per potentiam extrinsecam. Et confirmatur, quoniam motus variatur pro ratione appetitus, si enim hic vehemens sit, motus quoque velocior est, si sit remissus, motus etiam tardius editur: ergo signum est illum ab appetitu procedere.

5 *Et probabilior opinio.*
Contrariam sententiam tenet Henricus quodl. 1. q. 6. Gotfredus quodl. 1. q. 4. Thienensis 3. de Anima, text. 54. negantes appetitum principium esse immediate elicitiuum motus localis, dantesque putant in ipsis membris animalis virtutem aliam, que actiue exequatur motum: quia tamen potentia hec in actione sua omnino ab appetitu pendet, ideo motum ab appetitu prouenire. Consonat huic opinioni Aristoteles in 3. de Anima, textu 54. quatenus ait dari organum quoddam corporeum quo appetitus perficit motum. Idem insinuat D. Thom. opuscul. 43. cap. 5. dicens, appetitum imperare motum, estimatiuum dirigere, potentiam motiuam exequi, & 1. p. q. 78. art. 1. ad 4. sensum, & appetitum non sufficere ad mouendum nisi super addatur vis aliqua, motiuam enim solum esse in appetitu, vt in imperante motum, in ipsis autem

Francisc. Suarez de Anima.

partibus corporis est, vt fiant habiles ad obediendum appetitui. Ex quo loco rationes deducuntur pro hac parte. Prima. Virtus motiua potentia est anima ab alijs distincta, in partibusque ipsius corporis subiecta: ergo potentia actiua est, non passiva tantum. Consequentia valet, eo quod potentia anima, vt anima est, actiue sunt, cum actus earum sint vitales, atque adeo a principio intrinseco actiuo procedentes. Vnde confirmatur intentum. Nam actus, quo scribo, v. g. non solum est actus vite, prout ad ipso appetitu elicitur, & appetitur, sed etiam prout ab ipsa manu executioni mandatur, nam ipsemet motus manus est vere vitalis: ergo respectu illius motus non habet manus merè passiuè, sed actiue etiam: ergo est in manu potentia aliqua illius motus ab appetitu distincta.

6 *Probatur 2.*
Secunda ratio. Appetitus non immediate elicit actum localem, sed imperat: concedenda ergo est distincta potentia actiua immediate efficiens illum. Consequentia est clara ex illorum sententia, atque ex ratione actus imperati superius explicata. Aggredens vero est S. Thomas, probaturque, quoniam sicut appetitus membra ciet ad motum localem, ita singulas partes impellit ad suas actiones: sed nulla actio aliarum partium est elicit a appetitu, sed imperata tantum: ergo motus localis non nisi imperatus erit, cum nulla particularis ratio detur, cur aliter contingat in illo. Confirmatur: nam sicut per motum localem exequitur quis proprium appetitum, ita per visum, vel intellectum exequitur quidquid appetit: ergo nulla est ratio, cur vnus sit actus elicitus ab appetitu magis quam alius.

7 *Probatur 3.*
Tertia ratio. Si appetitus elicit motum, nulla que alia virtus est actiua illius, per quem actum quæso edit appetitus talem motum, aut enim per actum edit, quo vult ipsum motum fieri, aut fortasse per alium: hoc postremum fingi non potest, omnis siquidem voluntatis actus est volitio, aut nolitio, idemque proportionaliter asserendum in appetitu, atque in Angelo motore constat illo actu celum mouere, quo vult mouere, nec cogitari potest actus accommodatus ad hunc mouendi effectum: si ergo per actum aliquem appetitus mouet, maxime per talem aliquem motum: esse autem hoc falsum ostenditur. Nam experimur sæpe nobis motus non paucos, absque eorum appetitione actuali, quales non raro motus oculorum, & palpebrarum, qui nobis inconfidantibus fiunt: motus etiam pedis, aut manus indeliberatæ, & sine aduertentia passim fiunt, circa quos euident est, appetitum non expromere specialem actum: fiunt ergo a potentia motrice actiua speciali. Eademque ratio est de motibus alijs. Vnde sumitur nouum argumentum: nam si motus localis esset actus immediate ab appetitu editus, non posset talis motus prænire appetitum, & cognitionem: consequens est contra experientiam: ergo, &c.

8 *Probatur 4.*
Vltima ratio. Si membra passiuè tantum se haberent ad motum, posset semper, & ad numerum moueri ab appetitu, eorum siquidem indispositio sufficiens non esset ad impediendam motionem appetitus, quia cum motus localis imperfectæ rationis sit, ferè nullam dispositionem requirit, vt recipiatur in subiecto: ergo si nihilominus dispositio postulatur, non nisi propter vim actiuam existentem in membris. Atque hæc opinio mihi probabilior apparet, quam etiam indicat D. præfertur Thom. 2. cont. Gent. c. 35. in solutione secundi argumenti, dum ait in locali motu animalis inter actum voluntatis, seu appetitus, & effectum mediantem actionem facientem motum: ergo & potentia actiua mediat.

Ad argumenta vero in contrarium dices, Aristotelem

Ad argum.
in 3. 4.

telem, & sanctum Thomam non negare in membris virtutem motuam actiuam, sed aperte illam agnoscere: attamen quia inter omnes alias potentias, quæ appetitui subordinantur, hæc maximè subditur illi (nam est quasi quoddam instrumentum per se ordinatum ad seruiendum illi) ideo motum localem appetitui tribuere, duo quippe sunt genera potentiarum animæ, quas mouet appetitus, cognoscetes videlicet, & motrices. Circa priores non se gerit appetitus vt motor tantum, sed vt mobile etiam ab illis, ideoq; illarum actio non adeo attribuitur appetitui: at potentia motiua tantum se habet vt mota, & subordinata appetitui, quæ necessario supponit, si ordinatè, ac rectè exire debeat in actum. Vnde cõmuniter appetitui ponitur tãquam principale principium localis motus, atq; ita sunt interpretandi Aristoteles, & sanctus Thomas, quando quidem de illorum mente aliàs constat. Ad rationem verò respondeo appetitui solum minimè sufficere, vt ex dictis constare potest.

10

Dubium 1.
circa superiorum doctrinam, quodnam sit subiectum motricis virtutis. Subiectum partium virtutis.

Sed iam dubia insurgunt circa hæc potentiam. Primum, in qua parte corporis resideat: Pro quo notandum, sicut in potentijs sensitivis quædam peculiaris inuenitur in particulari organo residens, quædam vniuersalis influens in potetias reliquas sensitivas: easq; gubernans, ita in presenti distinctione, cui possit, atq; dicendum, organum motricis potetie particulare esse in musculis, seu nervi copulationibus inter se ossa, in quibus est ipse veluti cado motus. Ratio verò est, quia localis motus illis partibus maximè exercetur: nam dum contrahuntur, vel tenduntur musculi, ipse motus perficitur, unde & ipsis partibus impeditur progressus. Ita Aristoteles 5. l. de Generatione animalium, c. 6. & l. de comuni animalium motu, ac S. Th. dig. opusculo 43. Est autem vis alia motiua aliarum partium per quandam contractionem, & dilationem vt in palpebris, oculorum supercilijs, & carnosa cute frontis, &c. Et hæc etiam in musculis residet, quibus dictæ partes textuntur, & gubernantur: huc etiam pertinet motus localis quarundam partium, vt fit in risu, cuiusvis effectrix in septo transuerso harer, & musculus thoracis, atque oris.

11

Subiectum virtutis generalis.

De virtute vniuersali Aristoteles vbique testatur esse in corde, in quo semper collocat principalem virtutem, & est probabile, nam appetitus in corde harer, motus autem localis appetitui consequitur. Alij volunt esse in cerebro, quia virtus hæc motiua, & consequitur sensitivam, & vtrique ad eundem finem ordinatur. Vnde Valefium 2. controuerfium, c. 20. Quod etiam inde cõfirmatur, quia quandoquq; ex infirmitate aliqua, aut paralyfi sensus amittitur, motus etiam membrorum cessat, q; indicio est, motum quoq; ex ea radice nasci ex qua sensus oritur, qua vitiata vterq; perit. Antecedens constat experientia, de qua vide eundem Valefium l. 5. controuerfium, c. 10. cõtingit tamen aliquando amitti motum remanente sensu, quia motus plures dispositiones requirit in membris: potetiaq; motiua perfectionem addit supra sensum: probabilis quidem hæc pars, sed Aristotelis sententia aridet magis.

12

2. Dubium.

Secundum dubium est, vtrum virtus motiua, de qua tractamus, cõmunis sit omnibus animantibus. Dico breuiter eam immediatè nasci ex sensitiva, ambas quippe ad eundem finem ordinari, perfectionem scilicet vitam animalis. Vnde sensus, appetitus, & potentia motiua proportionaliter se habent in illo, & perfectionem sensum perfectior virtus motiua comitatur. Quo fit, vt quædã moueantur ad distantia loca, quia à distantibus sensibilibus immutari possunt, & inter ipsa quædam mouentur per aerem volando, alia per aquam natando, alia vero per terram reptando, vel gradiendo, & quæ gradiuntur perfectiora inter omnia cõ-

sentur, animalibus autè imperfectissimis, & conchylijs, quia fixa etiam mouentur secundum partes, non omnino deest motrix potetia, vt sanctus Thomas notauit l. 3. de Anima, c. 8. & suo c. 6. Caetera! Nam habet potentiam ad dilatandum se & contrahendum, q; cum imaginatione, & appetitu efficiunt, & ideo talis potentia motrix animalis etiam e, q; etiam Aristoteles docet 3. de Anima, textu 57. scribens, sicut illis animalculis inest motus, ita inesse imaginationem, q; liquet, quia puncta contrahuntur, & delectatione expandunt sese: cū imaginatione igitur, & appetitu id exequitur.

Tertium dubium est, an in homine possit aliquid quando voluntas mouere localiter immediatè absque appetitu sensitivo, vel appetitus sensitivus absque voluntate. Sanctus Thomas 1. p. q. 80. a. 2. ad 3. sentire videtur voluntatem non nisi medio appetitu sensitivo mouere, & q. 81. art. 1. ait, appetitum sensitivum absque voluntate non mouere. Dico tamen primò. Appetitus sensitivus seclusis impedimentis mouere non potest renuente voluntate. Probat, quia motus localis in nobis libere fit, exceptis quibusdam motionibus, quæ naturali quadam alteratione fiunt, & ab appetitu etiam sensitivo non pendent, vt supra notauimus: ergo talis motus exerceri nō potest renuente voluntate. Secundò ita exigit debita hominis cõpositio, in quo voluntas tanquam primum mouens, & tanquam primum principium humanarum operationum se habet.

Dico secundò. Appetitus sensitivus de se sufficiens est ad mouendū si voluntas non contradicat. Pro expeditione notandum, voluntatem multis modis posse spectari. Primò, quando impedita est ad perfectè operandum, sicut in pueris ante rationis usum, & in amentibus: tunc verò ipsa nec impedit appetitum, nec impellit, proindeq; appetitus valet inter se causare motum, vt experientia docet, & ratione patet. Nam in brutis appetitus sufficit ad causandum motum: ergo etiam in nobis sufficit, nisi impediatur. Altero modo spectari potest voluntas, vt apta est ad renuendum, vel consentiendum, nec à quoquam impedita, ita tamè vt indifferenter se habeat, nec in actum exeat, in quo etiam statu poterit appetitus mouere, absque voluntate: tum propter eandem causam: tum etiam, quæ licet tunc voluntas explicite non consentiat, virtute saltem consentire censetur. Rarò autè, aut nunquam fortasse poterit sic se habere voluntas, quando fit actus. Tertio deniq; modo potest se habere voluntas, vt positivè moueat, vel impediatur, tunc verò constat satis quid dicendum sit in proposito dubio. Atque ita patet vniuersim, quomodo appetitus possit mouere, vel non mouere absque voluntate.

Iam dico tertio. Voluntas de se potest mouere absque appetitu, imò ipso contradicente mouere. Probat, quia potentia libera est, & principium omnis motus, vt supra diximus. Item, quia nulla se offert ratio, quare hac in parte pendeat ab appetitu, id quod satis videtur docere experientia. Crederim tamen cõmuniter paulatim appetitum trahi ad consensum voluntatis, simulque cum illa mouere, cum id exigit suavis rerum dispositio, vt superiora regant inferiora per media, si tamè media ipsa non repugnent, sed debite exequantur influxum superiore: vnde potest intelligi, localem motum non elici immediatè ab appetitu, sed imperari: voluntas enim impedire nequit actum elicitum appetitus, ipso renuente, licet tunc eadem voluntati non imputeur, motum autem localem impedire efficaciter potest, vt experientia constat.

ELEN-